LIBRARY OF CONGRESS
0 003 055 535 1

PA 4369
.A8 R6
Copy 1

Rose, Hermann

DE

ARISTIDIS PLUTARCHEI FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS ROSE,

HANNOVERANUS.

81475

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMIA HUTHIANA.

MDCCCLXXIV.

FB June 3-24
FA 4369
.A8R6

CURTIO WACHSMUTH

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

Constat inter omnes, quanti sit momenti ad cognoscendam fidem et auctoritatem earum rerum, quae a Plutarcho narrantur, quod scimus, ex quonam fonte fluxerint. Quare quum neque ei, qui iam antea de Aristidis Plutarchei fontibus quaesierunt [1]), omnia satis exposuissent, quae etiam nunc sufficerent, et opusculum amici mei Albracht [2]) supplere vellem, quia hae duae vitae omnia continent, quae Plutarchus de bello a Xerxe cum Graecis gesto narrat, iure me id fecisse puto, ut huic rei iterum pertractandae operam darem. Atque ad eruendos hos fontes in primis nobis comparandi sunt Herodotus, Thucydides, Diodorus, quae ceterorum historicorum fragmenta servata sunt. Neque minor vis tribuenda est libello illi Plutarchi, qui *περὶ Ἡροδότου κακοηθείας* inscribitur. Qui quomodo adhibendi sint, quum optime demonstraverint omnes, qui ante me de Plutarchi aut Diodori fontibus quaesierunt, ne longus sim in enumerandis et repetendis eis, quae illi statuerint, hos ostendisse mihi sufficiat. Iam ad rem ipsam accedamus.

Ut fere in omnibus vitis ita etiam in nostra Plutarchus, quum non modo legentes erudire sed etiam meliores facere velit, initio et fine tantum de moribus eorum, quorum vitam describit, loquitur. Ac cap. I exponit originem et paupertatem, II obtrectationem cum Themistocle factam, III patriae magnum amorem, IV iustitiam et abstinentiam, V

---

[1]) Heeren, de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi commentationes IV.; Gottingae, 1820. — Haug, die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Griechen; Tübingen, 1854. — Sintenis, Vorrede zu seiner Ausgabe; Berlin, 1870.

[2]) Albracht, de Themistoclis Plutarchei fontibus: Gottingae, 1873.

pugnam Marathoniam et iterum abstinentiam, VI quomodo cognomen Iusti acceperit et cur pluris aestimanda sit virtus quam opes, VII relegationem et iterum patriae amorem, tum fine narrationis cap. XXIV abstinentiam, XXV paupertatem et benevolentiam erga Themistoclem habitam, XXVI falso eum accusatum et damnatum esse, XXVII quo loco sepultus sit et quid Athenienses liberis dederint. Quae omnia optime inter se cohaerent. Nam quod §. 4 cap. XXIV de *ἡ περὶ τὰς χεῖρας ἐγκράτεια* Plutarchus loquitur, demonstratur fonte eodem eum usum esse quo cap. IV, ubi idem tantum versu *τῆς δὲ χειρὸς οὐ κρατῶν* exprimit. Tum in utraque parte eidem scriptores testes afferuntur. Denique genus dicendi plane consentit, et sententia toti subiecta prorsus eadem est. Nam id agitur, ut virtutes Aristidis et in primis iustitia et abstinentia quam maxime perspicuae fiant quod primis quattuor capitibus sextoque atque fine per se patet, si autem paullo accuratius quaesierimus, etiam reliquis inesse inveniemus. Ego quidem contendo illam esse caussam commemorandae pugnae Marathoniae. Nam in describenda hac re plane abhorret a ceteris rerum scriptoribus. Hi pugnam ipsam narrant, neque vero de Aristide quidquam dicunt. Ille de pugna ipsa nihil dicit, Aristidem autem et ei interfuisse et quum magna frueretur auctoritate, ceteros duces adduxisse, ut pro Miltiade a summa imperii desisterent. Tum solus narrat, eum valde cum Themistocle, quocum media acie stetisset, certasse et quum ceteri duces Athenas profecti essent, ne urbs repentino impetu Persarum caperetur, ad custodiendam praedam relictum esse. Huic rei adiungit narratiunculam, quae nullo modo ad pugnam spectat, sed quum narret, quomodo Callias cognatus ille Aristidis, qui infra iterum commemoratur, opes nactus sit, demonstrat tantum, quam diversus hic ab illo fuerit et quam modeste et abstinenter Aristides se gesserit. Denique finis huius capitis quam simillimus est primi. Nam in utroque de eadem re loquitur Plutar-

chus, quum quid Demetrius Phalereus de archontatu et choregia Aristidis dixerit, afferat atque eodem modo, quod fastis publicis Atheniensium nititur, refellat, ut non dubitem nostrum caput eidem fonti tribuere cui primum. Cap. VII Fricke quum de fontibus Nic. XI et Alcibiadis XIII quaereret, e Theopompo desumptum esse putavit, eam autem partem, qua quomodo ostracismus factus sit narratur, Theophrasto tribuit, neque vero mihi tam certum, quam ille statuit, esse videtur. Nam hoc caret omni argumento, quamquam recte negat e Philochoro id fluxisse, illud sumit, quum quod Plutarchus eandem rem Nic. XI alio tempore atque Alcib. XIII narret, concludat diversis fontibus usum eum esse quorum alter hic subsit, quia relegationem Hyperboli eodem fere modo quo Nic. XI narret. Neque tamen, etiamsi illud ei concedamus, ex eo, qui sint scriptores a Plutarcho excusssi, concludi potest, atque hoc tanto magis ad nostrum caput spectat, quanto plenius est talium rerum, quae nullo modo Theopompo tribui possint. Nam valde dubito, num is scripserit, et Aristidem solam propter invidiam et odium plebis exsilio multatum esse et Athenienses propterea ab adhibendo qui dicitur ostracismo destitisse, quod tam turpi homine expulso dedecore affectus esset. Res ipsae quidem verae sunt, sed caussae, quae afferuntur, prorsus falsae. Theopompus vero ab his rebus gestis non tam longo temporis spatio aberat, neque intelligo, cur ille una narraverit Aristidem et Hyperbolum expulsos esse. Tum verisimile non est Plutarchum e pluribus capitibus id collegisse, quod hoc capite exposuit. Neque enim in duobus subsistere possumus, quum narratiunculam illam, quam fine affert, nec Theopompo nec Theophrasto tribuere possimus. Unde autem hanc ab eo desumptam esse statuimus, inde totum caput derivari multo magis quadrat ad scribendi genus Plutarchi, quippe qui, quantum potuit, unum secutus sit fontem. Huc accedit, quod id consilium, quod in eis, quae antecedunt, inesse vidimus, etiam huic capiti subiectum est. Nam

iustitia et amor patriae Aristidis laudatur, quod propter illam expulsus esse et quum Athenas relinqueret, deos pro patria invocasse dicitur. Nec minus genus scribendi plane idem est, quod in eis, quae antecedunt. Denique ceteri rerum scriptores haec omittunt. Quare quum hoc caput eidem fonti tribuam, cui ea quae antecedunt, haec omnia, quae initium et finem vitae nostrae complectuntur, ex uno fonte derivanda sunt, atque ad definiendum hunc fontem summi momenti nobis sunt nomina eorum, quos Plutarchus ipse testes affert. Citantur autem ab illo nominatim Aristoteles, Theophrastus, Demetrius, Aristoxenus, Callisthenes, Hieronymus, Ariston, Aeschines, Idomeneus, Panaetius, Craterus, Clidemus. Quorum omnium opera Plutarchum ipsum inspexisse quis est, qui putet. Quamquam enim commemorat, tamen plane abhorret tale genus scribendi a more Plutarchi, et multo verisimilius est non ipsum omnia ea collegisse et connexuisse, sed e fonte desumpsisse, quo iam hae res ita expositae erant, ut nunc apud Plutarchum scriptas legimus. Quorum quum omnium doctorum virorum aetate novissimus scripserit Panaetius, amicus ille Scipionis Africani et Laelii, Plutarchus non modo ceteris usus esse non potest, sed ne hunc quidem excussit. Neque enim vulgo, quo fonte usus sit, dicit. Tum omnia, quae ille affert, refutare studet, sed tam bene cum eis, quae antecedunt et sequuntur, cohaerent, ut nullo modo a Plutarcho ipso addita esse possint ex opere illo Panaetii, quod *Σωκράτης* inscribitur. Quare nihil aliud restat, quam ut sumamus Plutarchum scriptore quodam usum esse, qui Panaetio aetate posterior erat, et exeunte secundo saeculo ante Christum natum vivebat. Quis fuerit, dicere quidem non possumus, sed quí fuerit, ex eis, quae capita continent, perspicuum est. Nam iam supra dixi spectare ea et ad mores et ad vitam privatam Aristidis. Quas quum ad res rerum scriptores animos non attendissent, tandem postquam Aristoteles discipulos impulit, ut tempus non solum collo-

carent in eis studiis, quae ad historiam litterarum et antiquitates pertinebant, sed etiam in vitis virorum illustrium componendis, factum est, ut talibus rebus colligendis delectarentur viri docti. Atque eorum est summa diligentia omnia conquirere et quasi coacervare et nimio quidem studio mirarum et novarum rerum, quarum multae quidem a veritate prorsus abhorrent, ut ars critica eorum non magni aestimanda sit. Huc accedit, quod saepius a proposito suo longius digrediuntur et maxime vitam privatam virorum describunt tanto studio, ut ea quae attulerunt accuratissime diiudicanda sint. Quae omnia cadunt in eos, quos Plutarchus nominat. Nam fere omnes sectae Peripateticae sunt et demonstrant tanto magis in litterarum studiis versatos se esse, quanto longius a gerenda re publica abfuerunt. Miro quodam modo quae fide indigna sunt neque unquam facta esse possunt, cum eis mixta sunt, quae optima sunt, ut non intelligamus, quid sit, quod doctissimi viri tam falsas res composuerint. Sed semper tenendum est eos magno temporis spatio interiecto a rebus gestis abfuisse neque in liberis rebus publicis sed regnis vixisse, ut instituta maiorum non satis intelligerent. Atque haec studia duobus postremis saeculis ante Christum natum maxime colebantur Alexandriae. Nam ibi non solum illorum multi vivebant sed etiam alios ita tempus consumpsisse scimus. Quae quum ita sint, talem Alexandrinum scriptorem a Plutarcho excussum esse pro certo statuo, neque vero, ut iam supra dixi, quis sit scio, quum tantum nomina eorum, qui post Panaetium vivebant, tradita nobis sint.

Fortasse eidem fonti tribuendum est cap. XXII. Neque enim cum eis, quae antecedunt neque quae sequuntur, cohaeret. Id autem, quod continet, initio et fini vitae simillimum est. Narrat enim, qua lege Aristides omnibus Atheniensibus aditum ad omnes magistratus patefecerit et quomodo Themistoclis consilium classis Graecorum comburendae impeditum sit. Illud a ceteris rerum scriptoribus non com-

memoratur et verba ipsa tam obscura sunt, ut quae sit lex cognosci non possit, neque vero reiicienda sunt, quum tale quid factum esse Aristoteles auctor sit. Hoc tantum demonstrat, quanta iustitia fuerit Aristides et quanta pravitate Themistocles. Consilium igitur idem est, quod initii. Huc accedit, quod fere eodem modo, quum tantum pauca mutet, narratiunculam hanc Cicero de officiis II, 11, narrat. Constat autem, eum multa in scribendo hoc opere desumpsisse ex opere illo Panaetii, quod inscribitur περὶ καθήκοντος. Quare puto etiam Plutarchum aut Panaetio ipso usum esse aut id quod propter initium multo verisimilius est, alio docto Alexandrino qui quidem ipse illum excussit, atque unde hoc fluxisse statuimus, inde etiam illud derivare non dubito, ut totum caput Alexandrino tribuam, praesertim quum vestigia talis fontis etiam multis aliis locis appareant. Sed de his postea videbimus.

Venio nunc ad eam partem vitae, quae nobis multo maioris momenti est. Nam a capite octavo narrat Plutarchus pugnas ad Salaminem et Plataeas factas et foedus ab Atheniensibus cum Ionibus ictum. Quum autem in describenda illa pugna vita Themistoclis aliquantum temporis consumpsisset, verisimile est ad utramque vitam in narranda hac re eum respexisse et singula pro re et consilio mutata narrasse. Quum enim ibi id ageret, ut Themistoclis merita quam clarissima fierent, et ceteri obscurarentur, hic autem Aristides clarus exsistat et Themistocles obscuretur, perspicuum est tantum eo modo pugnam accurate describi posse, quod duas illas narrationes coniungimus. Tum ut omittam, quod scribendi genus idem sit et eodem ordine res gestae narrentur, tam multis locis singula verba inter se consentiunt, quae nullo alio modo explicari possint, quam ut statuamus ex uno fonte ea fluxisse, ut nonnulla autem inter se discrepent, id quod maxime in eo situm est, quod res quaedam altera narratione narrentur, quum in altera desint, facile diverso consilio factum esse intelligimus. Quare fieri

non potest, ut tantum de fontibus alterius, quum non integra sit, quaeramus, sed semper altera nobis comparanda est, quum tandem hoc modo, qui sit fons excussus, definire possimus.

Initium narrandi Plutarchus ab ea re sumit, quae vitae gravissima est, quando et quomodo Aristides reverterit. Illud etiam aliis testimoniis certum est, neque vero, quum scriptores inter se discrepent, quo anno expulsus sit. Quum enim Plutarchus hoc loco dicat tertio anno id factum esse, antequam restitueretur, Cornelius sexto anno, ceteri nihil afferant, certi quidquam statuere non possumus. Quum autem ille bono fonte usus esse videatur, ei maiorem fidem tribuimus quam Cornelio, nisi forte antea demonstratur, ex quonam fonte id fluxerit, id quod ut omnibus vitis eius difficile est, ita maxime Aristidis, quippe quae brevissima sit, praesertim quum paullo post talem rem narret, quae prorsus a ceteris rerum scriptoribus abhorreat.

Restitutus est plebiscito. Nam Plutarchus narrat Athenienses metuentes, ne ad Persas desciscceret, exsules revocasse. Idem affert vita Themistoclis cap. XI, quum tantum id addat, quod ipsum legem tulisse commemoret. Diodorus neque dicit exsules revocatos esse neque Aristidem pugnae interfuisse. Herodotus quidem expulsum et revocatum eum esse non dicit, sed primum de eo ita loquitur, VIII, 79, *συνεστηκότων δὲ τῶν στρατηγῶν ἐξ Αἰγίνης διέβη Ἀριστείδης ὁ Λυσιμάχου ἀνὴρ Ἀθηναῖος μὲν ἐξωστρακισμένος δὲ ὑπὸ τοῦ δήμου τὸν ἐγὼ νενόμικα πυνθανόμενος αὐτοῦ τὸν τρόπον ἄριστον ἄνδρα γενέσθαι ἐν Ἀθήνῃσι καὶ δικαιότατον*, ut credere possis longe aliud eum narrasse ac Plutarchum duobus illis locis Aristidem, quum non restitutus sit, pugnae Salaminiae interfuisse. Nam si in *ἐξωστρακισμένος* notionem perfecti passivi inesse putamus significat eum, qui exsul est, neque idem est quod participium aoristi passivi et si verba Them. XII *οὐκ ὢν φίλος ἀλλὰ καὶ δι᾽ ἐκεῖνον ἐξωστρακισμένος* eodem modo interpretamur, sequitur, ut

iam veteres docti viri non idem senserint, utrum Aristides revocatus pugnae interfuisset necne, quorum utrumque a Plutarcho coniunctum narretur, solum autem hoc ab Herodoto. Quod verum esse nego. Nam non modo multis aliis testimoniis certum est Athenienses, quum bella gravia instarent, omnes exsules revocasse, exceptis eis, qui parricidio obstricti essent, sed etiam id Andocides de mysteriis 107 tradidit, qui quidem dicit Athenienses hoc ante pugnam Marathoniam fecisse, sed Scheibe [1]) demonstravit hoc tantum studio rhetorice dicendi factum esse et ad nostrum tempus spectare illam legem. Ita autem ea quae Plutarchus et Herodotus narrant coniungere possumus cum his rebus, ut inter reditum ipsum et legem illam, quae tantum ei permisit, ut rediret, distinguamus. Nam quamdiu Aristides non redierat, erat exsul et tandem reditu ipso hoc finem habet. Tum omnes difficultates sublatae sunt. Neque vero quod Aristides extremo temporis puncto Aegina Salaminem venit, quum tam perturbata esset Graecia, mirum est. Quum enim lex Salamine sancita esset, facile est intellectu amicos Aristidis tempus non habuisse revocationis per litteras nuntiandae Quum igitur fortasse sola fama audiisset, tam sero venit, quamquam quidem profecto Athenis magis prodesse poterat quam Aeginae. Nihilo magis urguendum est, quod Herodotus de revocatione nihil dicit, quum quam maxime id agat, ut pugnam ipsam describat. Solus quidem Cornelius auctor est Aristidem, quum non restitutus sit, pugnae interfuisse, sed mihi quidem, ut iam supra dixi, prorsus a veritate abhorrere videtur. Plutarchum igitur et Herodotum inter se dissentire statuere non possum, sed utrumque sensisse Aristidem iam ante pugnam revocatum esse. Num autem caussae, quae a Plutarcho afferuntur, Atheniensium metus et desiderium Aristidis, rectae sint, valde dubito. Verisimilius quidem est postea inventas eas esse, quippe quae Aristidi laudi essent,

[1]) Zeitschrift für Alterthumswissenschaften, 1842, 210.

et rei ipsi additas. Desumpsit autem Plutarchus hunc locum ex Ephoro, quum et hic et in Themistocle in describenda pugna illo uteretur neque videam, cur alium fontem excusserit.

Versus quinque illos, qui sequuntur, Plutarcho ipsi tribuo, quippe qui temporis spatium inter reditum et plebiscitum explere velit. Sed has res male inter se coniunxit, dicens Athenienses magno errore captos esse et falso de Aristide iudicasse, quum non solum ante plebiscitum semper Graecos ad libertatem impulisset sed etiam Themistoclem, quo nemo ei inimicior esset, clarissimum fecisset et semper adiuvisset. Nam hoc totum falsum est. Cum Themistocle tantum Salamine fuit et hic ille iam optime Graecis consuluerat, id autem quod nuntiavit, classem cinctam esse et Eurybiadi persuasit, ut pugnaret, nullius momenti est. Nam tantum id nuntiavit, quod Themistocles fecerat, et pugnarent Graeci necesse erat. Denique expugnatio Psyttaliae quamvis magna fuerit, tamen non tantum momentum ad Themistoclis gloriam attulit. Verba igitur haec nec cum eis quae sequuntur cohaerent, quum falsa sint, nec quae praecedunt, quum tandem illis probari possint. Huc accedit, quod salva sententia auferre possumus.

Reliquo capite narrat, quomodo Aristides a Themistocle exceptus sit et in ducum consilio se gesserit. Qua quum de re Diodorus nihil dicat neque unquam Aristidem commemoret, cum hoc capite solo non est comparandus. Nihilo similior est Herodotus. Nam ut praetermittam, quod Plutarchi verba *οὐδενὸς προειδότος τὴν κύκλωσιν* cum Herodoti VIII, 78, *ᾔδεσαν δ' οὔκω ὅτι σφέας περικυκλέοντο* non nihil consentiunt, plane inter se abhorrent. Ille praecipue narrat colloquium Aristidis cum Themistocle et altercationem cum Cleocrito. Hic in colloquio plane aliud Aristidem dicentem facit, atque hanc omisit, quum praeterea ducem Corinthiorum non Cleocritum sed Adimantum appellet. Si igitur tantum de huius capitis fontibus quaerimus, prorsus nihil lucramur sed certum est duas narrationes Plutarchi,

quum tam consentiant, ut tantum unam efficiant, ex uno fonte fluxisse; atqui illam Albracht ex Ephoro desumptam esse statuit, ergo hanc ei iure tribuimus.

Pugnam ipsam non describit, sed capite nono expugnationem Psyttaliae, qua Aristides optime de Graecis meruit. Diodorus hanc omisit neque Herodotus quum VIII, 95 tantum dicat eum *ἐν τῷ Θορύβῳ τούτῳ* insulam expugnasse et omnes Persas interfecisse, magni nobis momenti est, sed quod Aeschylus, qui nuntium Pers. 448 dicentem induxit: *ὡς γὰρ Θεὸς ναῶν ἔδωκε κῦδος Ἕλλησι μάχης* temporis ratione cum eo consentit, constat insulam tandem fine pugnae expugnatam esse. Plutarchus ipse hanc rem iterum Them. cap. XIII narrat et testem affert Phaniam Lesbium. Quod quum nonnullis locis cum nostro capite consentiat, primo quasi aspectu crederes ex eodem fonte utrumque fluxisse. Sed in Themistocle narrat Plutarchus tres captos Persas ad eum, quum ad navem praetoriam hostias immolasset, adductos esse et monente haruspice mactatos, quandoquidem homines magnis periculis miris rebus fidem haberent neque vero quando, ubi, abs quo hi capti sint; in Aristide autem primum hunc optimos milites in naves imposuisse, eduxisse, Persas interfecisse, tum tres captivos Themistocli misisse, qui mactati essent, id quod tantum verbo *λέγονται* probatur; denique insulam militibus saepsisse, suis auxilio, hostibus damno. Quum igitur expugnatio, non mactatio, quae ne certe quidem comprobatur, describatur, hic plane id obscuratur, quod ibi fere solum narratur. Tum genus scribendi valde inter se abhorret. Denique in Themistocle temporis ratio quam falsissima est. Nam eo quod Persae iam ante pugnam immolabantur, efficitur, ut iam ante eam capti sint, sed quum insula fine tandem pugnae expugnaretur, non intelligo, unde Persae venerint. Quare has duas narrationes e diversis fontibus derivandas esse puto; quum autem ea, quae antecedunt et

sequuntur, ex Ephoro in Aristide fluxerint, etiam hunc locum ei tribuo.

Fine capitis narrat Plutarchus, quo callido consilio Themistocles Xerxem adduxerit, ut Graecia decederet. Quod quum iterum fere eisdem verbis Them. cap. XVI narret et id quod Albracht statuerit probem, tantum hunc ostendisse mihi sufficiat, ut Ephorum Plutarchi fontem fuisse putem.

Trecenta milia militum Mardonio fuisse Plutarchus auctor est. Quo cum numero consentit Herodotus VIII, 100, quum tantum IX, 32 addat ad hos, qui Persae soli fuissent, quinquaginta milia auxiliorum Graecorum et equites accessisse. Diodorus quidem dissentit, sed quum numeri saepius in eo confusi sint et hoc loco secum pugnent, quos attulit, nullius momenti est. Nam 19, loquitur de quadringentis milibus, sed quum 28, 4 dicat ad exercitum Mardonii ducenta milia Graecorum accessisse et 30, 2 summam constare ex quingentis milibus, unus numerus ex his falsus sit, necesse est. Quare quum e numeris demonstrare aliquid volumus, in neutram partem quidquam lucramur.

Epistolas Mardonii ad Graecos tantum apud Plutarchum commemoratas invenimus. Eaedem sententiae etiam sunt in oratione Mardonii, Herod. VIII, 100, qua Xerxem consolatur, sed hae ita voluptati aurium serviunt verborum et sententiarum leporibus et argutiis, ut Ephoro solo Plutarchus usus esse possit. Quam quum ad rem statim adnectat Plutarchus, quomodo Mardonius Athenienses ad se allicere conatus sit, inimicitias ab Atheniensibus cum Lacedaemoniis propter aemulationem susceptas silentio praeterit. Atque in narranda illa re satis inter se consentiunt Herodotus Plutarchus Diodorus. Quamquam enim Herodotus solus Alexandrum regem Macedonum legatum Mardonii fuisse dicit, quum ceteri tantum de legatis in universum loquantur, tamen hoc ita explicari potest, ut nomen ipsum omisisse eos, qua erant levitate, statuamus. Omnes autem fere easdem conditiones Mardonium eis proposuisse narrant. Plutarchus

auctor est misisse eum Atheniensibus litteras, quibus a rege iussus esset urbem dirutam eis denuo aedificare, multum argentum dare, Graecos ceteros subiicere. Quod quum Lacedaemonii audiissent, ipsos metu legatos misisse, qui Athenienses hortati essent, ut liberos et mulieres Lacedaemonem mitterent et pro eis frumentum a se acciperent. Magnam enim inopiam Athenis fuisse. Herodotus VIII, 140 narrat Alexandrum litteras ipsas, quas Xerxes Mardonio misisset, recitasse, quibus ille Atheniensibus promisisset, se veniam daturum esse peccatorum, agrum redditurum atque alium quem vellent, libertatem servaturum, templa diruta restituturum et edocuisse, quam nihil id, quod facerent, ipsis proficeret. Qua quum de re certiores facti essent Lacedaemonii, ipsos legatos misisse, qui Athenienses adhortati essent, ne ad Persas desciscerent, quum bellum movissent, et promisissent, se mulieribus et ad arma inutilibus victum daturos esse. In Diodoro quidem non satis perspicuum est, utrum legati utrorumque eodem tempore adsint, an id quod audierent Persarum legatos advenisse, Lacedaemonios commoverit, ut mitterent, quum tempus non accurate tradat, sed legati Persarum Atheniensibus iussu Mardonii promittunt, agrum quem vellent in Graecia daturum eum esse, moenia et templa combusta aedificaturum, civitatem liberam suis legibus usuram esse; Lacedaemoniorum vero tantum postulant, ne a Graecis deficiant. Quamquam enim nonnullis locis Diodorus abhorret, tamen multo verisimilius est haec ipsi qua erat negligentia tribuere quam putare diversis fontibus usos esse Plutarchum et Diodorum, ut hanc narrationem ex Ephoro fluxisse statuam.

Fine capitis Plutarchus alio fonte usus est atque antea. Incipit autem verbis *οὐ μὴν ἀλλὰ*. Nam iam multis locis his verbis transit ad novum fontem atque omnia quae sequuntur a ceteris longe discrepant. Narrat Aristidem plebiscitum, quod utrisque responderetur, tulisse, legatos, qui, quamdiu cum plebe egisset, abiissent, introduxisse, severe

repudiasse, suasisse, ut eum qui iterum cum Persis agere vellet sacerdotes exsecrarentur. Tota res cum institutis Atheniensium congruenter narratur et responsiones illae, quae duae esse videntur, ita explicandae sunt, ut legatis plebiscitum recitatum, aliud ab Aristide postea additum sit. Herodotus nihil dicit de concione plebis nec de plebiscito nec de Aristide nec de exsecratione sed tantum quid Athenienses legatis responderint, affert. Quod quum quam accuratissimum et longissimum sit, paene ad verbum expressa in hoc ea insunt, quibus Plutarchus Aristidem legatos repellentem facit. Eodem modo Diodorus tantum has duas responsiones affert, sed plane ab Herodoti et Plutarchi discrepant. Quum enim id quod illi Lacedaemonios responsum abstulisse narrant, hic fere eisdem verbis Persis Athenienses respondisse auctor sit, id quod ipse Lacedaemoniis Athenienses respondentes facit, cum eo quod illi Persis dant, consentiret necesse erat, neque vero ullo modo cum Plutarcho consentit et tantum cum quadam parte eius quod Herodotus, quippe qui longior sit, Lacedaemoniis dat. Hoc vero neque urguendum et Diodoro ipsi tribuendum esse puto, sed summi momenti ad eruendos fontes Diodori et Plutarchi est, quod ille actum esse cum plebe et ab Aristide latum esse plebiscitum non narrat. Id enim demonstrat diversos fontes eos excussisse neque vero illud, quod nonnullis locis consentiunt cum Herodoto, multum valet, quum omnes, qui de bellis cum Persis gestis scripserunt, certe hoc usi sint. Tum narrat Plutarchus legatum Aristidem missum esse ad Lacedaemonios et testem affert Idomeneum. Quem quum antea non inspexerit et id quod hoc loco exponit optime cum eis quae praecedunt cohaereat, verisimile non est Plutarchum eum evolvisse sed ex eodem fonte hoc fluxisse quo reliquum. Quem ad definiendum summi momenti nobis est quod Plutarchus aut id quod mihi verisimilius videtur esse, eius fons Idomeneum corrigere studet, dicens, quum in plebiscito Aristidis non

ipse sed Cimon Xanthippus Myronides legati nominarentur, Idomeneum errasse, quippe qui solum Aristidem legatum fuisse narrasset. Neque vero recte iudicat. Nam capite hoc duae Atheniensium legationes distinguendae sunt, altera quae Lacedaemoniorum deduceret, altera quae propter negligentiam eos vituperaret. Illa cum plebiscito ab Aristide lata erat et legati erant hi tres Athenienses, haec postea aliquantum missa est, neque Xanthippus, quum classi praeesset, in ea esse poterat. Quas quum Plutarchus confunderet, error natus est, sed optime eo uti possumus ad eruendum fontem. Nam ex eo quod plebiscitum hoc modo commemorat concludi potest eum, qui hoc scripserit, ipsum illud inspexisse; quod quum Plutarchus non fecerit, ipse Idomeneum corrigere non potuit, sed e fonte desumpsit. E tribus igitur partibus hic locus compositus sit necesse est, e plebiscitorum collectione, Idomeneo, eo fonte, qui illas duas coniunxit et hos novissimos versus addidit. Atque hoc Plutarchus usus est. Quum autem responsa Atheniensium quam arctissime cum plebiscito cohaereant, ex eodem fonte derivanda sunt, quo hoc. Plebiscita collegit Craterus opere suo, quod inscribitur *ψηφισμάτων συναγωγή*. Qui quum non solum illa et inscriptiones composuisset, sed etiam ut demonstratur loco illo Arist. cap. XXVI de viris illustribus multa alia tradidisset, quam verisimillimum est ex eo fonte primario haec fluxisse. Neque vero Plutarchus ullum alium scriptorem excussit, quam Alexandrinum quendam, qui Craterum et Idomeneum coniunxit, quum talis viri docti sit tanta scientia et doctrina, atque quum Idomeneus eodem modo quo antea testis afferatur, eodem Alexandrino Plutarchum usum esse puto, ex quo initium desumpsit.

Cap. XI transit Plutarchus statim ad narrandam pugnam ipsam. In eo consentit quidem cum Herodoto et Diodoro, quod narrat Aristidem exercitui Atheniensium, qui octo milium militum fuisset, praefuisse, sed solus dicit

eum ducem, cui ratio non reddenda esset, creatum esse et statim Plataeas copias duxisse ibique cum Lacedaemoniis iunxisse, id quod propter ingentes copias Persarum falsum esse perspicuum est. Diodorus hoc plane omittit. Herodotus IX, 19 narrat exercitum a Salamine traiecisse et postquam se cum Lacedaemoniis Eleusine coniunxisset, in Boeotiam profectum esse. Id autem quod de Persis affert bene consentit cum Plutarcho, quamquam multo brevius est, neque vero ullo modo cum Diodoro, quippe qui Mardonium certiorem factum de adventu Graecorum Thebas reliquisse narret. Tantum in eo consentiunt inter se, quod utrique commemorant Mardonium ad Asopum flumen castra posuisse, neque vero hoc tanti momenti est, ut Plutarchum eundem scriptorem excussisse sumamus ac Diodorum. Sed quum ea quae praecedunt et ab hoc discrepent et cum Herodoto consentiant, atque coniunctio cum eis quae ex Ephoro fluxerunt soluta sit, videndum est, nonne alio fonte usus sit Plutarchus. Quod quam vere sit dictum, postea accuratius quaeramus necesse est.

Reliquum caput eiusmodi fonti tribuo, qui ab eis scriptoribus, quibus Plutarchum supra usum esse posuimus, longe diversus sit, Boeotico, quamvis primo quasi aspectu mirum sit. Quod quum neque ab Herodoto et Diodoro narretur et nonnullis locis repugnet, ab his non derivandum est. Narratur enim Aristidi oraculum Delphis contigisse, quo iussus esset, ut vinceret, multis deis et heroibus Plataeensium sacrificare et suo agro in planitie Eleusiniae Cereris et Proserpinae cum hostibus pugnare. Quo quum iussu bellum rursus in Atticam transferretur, noctu Iovem ad Arimnestum ducem Plataeensium in somnis venisse et suasisse, ne hoc faceret, quum oraculum Plataeas significasset. Qui quum a vetustissimis hominibus certior factus esset ad Hysias templum illarum dearum sitam esse, Aristidem huc exercitum duxisse et ne quid deesset, Plataeenses agrum Atheniensibus dedisse. Primum insigne est, quod oraculum

hoc omnes deos et heroes enumerat, id quod nullum aliud fecisse puto, permirum autem quod Iupiter cum Arimnesto colloquitur. Tum id quod templum Cereris ad Hysias situm esse dicit, pugnat cum Herodoto IX, 57, qui commemorat iuxta Plataeas id fuisse, ubi, postquam Graeci tertium castra mutaverunt, de summa rerum Lacedaemonii cum Persis decreverunt. Ex quo efficitur nova quaedam difficultas. Nam quum Plutarchus eodem loco sacellum Androcratis fuisse auctor sit, Herodotus IX, 25 dicit iuxta hoc iterum castra posuisse Graecos, ut prope Cereris templum esse non possit. Nullo igitur modo id explicari potest, quod non solum Herodotus sed etiam Plutarchus bis castra Graecos mutasse narravit, quum oraculum eos hoc loco pugnare iussisset, neque quo tandem loco pugnatum sit. Deinde non video, cur Aristides eo exercitum duxerit, quum Pausanias ei praeesset. Denique totum fieri non potuit et quam falsissimum est. Nam Herodotus VI, 118 narrat Plataeenses se in fidem Atheniensium dedisse, sed hoc triginta annis ante factum est. Hoc loco autem dicit Plutarchus, Plataeenses Atheniensibus agrum dedisse, id quod neque ab ullo alio scriptore narratur et a Plutarcho tantum hic. Quanti autem momenti hoc testimonium sit, demonstrat id quod duobus aliis locis in Plutarcho scriptum legimus. Nam „de malignitate Herodoti“ pag. 860 hunc vituperat, quod dixit Lacedaemonios idcirco Plataeenses, qui auxilium ab eis petiissent, ad Athenienses misisse, ut caussa certaminis his et Boeotis essent atque in Alexandro cap. XXXIV consilium regis Plataearum dirutarum restituendarum commemorans tantum eam caussam affert, quod agrum pugnae locum Graecis praebuerint neque vero usquam Athenienses dono eum accepisse dicit. Consilium totius narrationis e re Boeotorum est. Nam dei et heroes, qui bene de victoria meruerunt, Plataeensium sunt. Tum ne exercitus decedat, dux Plataeensium efficit, atque iucundum est visu Plutarchum, quum „de malignitate“ Herodotum vituperet, quod dixerit non The-

mistoclem sed Mnesiphilum cepisse consilium, ut Salamine Graeci Persis resisterent, idem hoc loco Aristidi facere, quamquam id mutat, quod Plataeensium dux est. Denique consilium, ut agrum Atheniensibus darent, Plataeensibus summo honori sit necesse est, quod id solum eis, quae oraculum postulabat, sufficiebat et maximum momentum victoriae afferebat, inprimis ubi suis legibus uti plurimi aestimabatur. Quum autem Plutarchus ipse Boeotus esset neque minus humili quam ardenti Boeotiae amore inflammatus esset, facile has res, quae quidem non omnium Boeotorum gloriam sed Plataeensium augebant, narrare, praesertim quum Thebani male se gessissent his bellis, ut fortasse nonnihil tolleret, et quum ipse sacerdos esset, talia mira oracula et sacra scire optime poterat. Neque minus tota narratio e re sacerdotum est, id quod non parvi aestimandum est, quamquam illud gravius est. Nam dei heroes nymphae optime de victoria reportanda meruerunt. Quare quum tota narratio ab omnibus rerum scriptoribus abhorreat, tali non tribuenda est, sed quum sit e re Boeotorum et sacerdotum, a templo quodam Boeotico orta sit necesse est. Tum omnia vitia facillime explicantur. Neque enim solum nunc sed etiam antiquis temporibus potentes sacerdotes res gestas commutare studuisse, quis est qui neget et tales res fictas a sacerdotibus narratas esse demonstrat satis Pausanias, in quo scriptas multas legimus. Cuius templi autem fuerit, non satis certe dici potest, fortasse eidem fonti tribuendum est, cui capp. XIX—XXII.

Tegeatas et Athenienses inter se certasse, utri sinistrum cornu ducerent, Plutarchus cap. XIII narrat. Quod quum Diodorus omittat, Herodotus IX, 26—28 describit, sed nonnullis locis aliquantum a Plutarcho discrepat. Nam primum res gestas alio temporis ordine narrat atque hic. Exponit enim capp. XX—XXIV pugnam equitum Persarum cum Atheniensibus et mortem Masistii et capp. XXVI—XXVIII postquam Graeci iterum castra mutaverunt, hoc certamen.

Noster ordinem mutat, quum hic certamen et tandem cap. XIV pugnam narret. Ex quo ordine concludi potest fontem Plutarchi tum certamen fuisse putasse, quum Graeci primum locum tenerent, ante pugnam illam, quamquam hunc eos mutasse Plutarchus non affert, aut id quod verisimile videtur non esse, Plutarchum ipsum ordinem mutasse statuendum est. Consentiunt autem inter se tantum in re ipsa. Plutarchus enim Tegeatas res benefactas maiorum narrasse auctor est, neque vero ipse narrat. Pro Atheniensibus autem Aristidem dicentem facit tempus non sibi permittere cum Tegeatis contendere, utri clariores sint, sed quum semper fortes se praebituri sint, quo loco stent, nullius momenti esse, ut duces ceterarum civitatum eis alterum cornu dent. Herodotus duas orationes affert, quibus utrique maiores laudant. Postremo quidem Athenienses (de Aristide nihil dicit) idem affirmant, quod in Plutarcho scriptum legimus, sed arbitrium Atheniensibus secundum totus Lacedaemoniorum exercitus solus clamore dat.

Motum a nonnullis nobili loco ortis Atheniensibus, qui bello ad paupertatem redacti erant, ad evertendum genus rei publicae populare factum sed ab Aristide compressum esse, quamquam Plutarchus solus narrat, tamen quum genus dicendi idem sit, quod in eis quae praecedunt et sequuntur, ex eodem fonte fluxerit necesse est.

Pugnam equitum cum Atheniensibus factam et Masistium interfectum esse, quum non solum Herodotus IX, 20—24 sed etiam Diodorus 30, 2—5 narret, facilius de fonte Plutarchi quaerere possumus. Si quo ordine rerum Diodorus usus sit, accuratius pertractaverimus, unusquisque mirabitur, quod, postquam aciem utrorumque descripsit, statim ad hoc transit. Plutarchus illam narrat cap. XI, hoc in nostro, ut inter haec ea capita, quae modo pertractavi, iaceant. Ex ordine autem Diodori efficitur, ut, nisi lacunam statuimus, cuius rei caussam non video, etiam fons eius, Ephorus, ad narratam aciem hoc statim adnexuerit

et ea quae Plutarchus illis capitibus narravit omiserit et si tum de Plutarcho concludimus, sequitur, ut haec ex alio fonte atque Ephoro desumpserit. Nostro capite bene inter se consentiunt Herodotus et Plutarchus, quum tantum absit, ut valde inter se discrepent, ut contra multis locis eisdem verbis utantur. Plutarchus appellat ducem Persarum Masistium, Herodotus Macistium, ille Athenienses Aristidem Megarensibus auxilio misisse exponit, hic tantum de Atheniensibus in universum loquitur, ille Megarensium tria milia fuisse narrat, hic hoc loco non affert, sed IX, 28 eundem numerum exhibet. Graviter tantum in eo abhorrent, quod quum ille Persas interfecto Masistio fugisse narret, hic corpus servare conatos esse et Athenienses graviter vexasse, donec a ceteris auxilium petiissent. Quae omnia nullius momenti sunt prae eo, quod, ut cetera omittam, eisdem verbis narrant, quomodo Athenienses Megarensibus auxilio venerint et barbari mortem ducis luxerint. Sed plane dissentit Diodorus, quum exponat magnam pugnam ortam esse, quod Athenienses barbaris, qui noctu equites in castra inmisissent, de hac re antea certiores facti instructi obviam ivissent. Postremo autem omnes Graecos Persas fugasse, exceptis tantum Megarensibus, qui quum contra ducem et robora stetissent, valde vexati essent et a Lacedaemoniis et Atheniensibus auxilia petiissent. Quae quum Aristides statim misisset, Megarenses servatos et Persas multos ducemque interfectos esse; tantum in eo consentit cum Plutarcho, quod uterque narrat Aristidem florem electum Atheniensium misisse et ducem Persarum interfectum esse, quum cetera ab hoc et Herodoto non tradantur. Quare nullo modo Ephoro Plutarchum usum esse puto. Huc accedit, quod, si Ephoro hoc caput tribuimus, etiam ea quae praecedunt ex eo derivanda sunt, id quod propter cap. XIII valde dubito. Tum non video, quo loco Plutarchus fontem mutaverit. Nam genus dicendi in eis quae sequuntur plane idem est, quod in his tribus capitibus et eodem modo Plutarchus

cum Herodoto fere ad verbum consentit multis locis atque hic, ut utrumque ex uno scriptore desumpserit necesse sit. Atqui haec nullo modo ex Ephoro fluxerunt. Multo facilius igitur est sumere Plutarchum alio scriptore etiam hic usum esse atque Ephoro, sed quis sit postea videbimus.

Diodorus quum statim ad narrandam pugnam ipsam transeat, si cum Plutarcho comparamus, nullius momenti est neque pro capp. XVII—XIX quibus hic pugnam describit, ex eo quidquam lucramur. Hic plane congruenter cum Herodoto pugnam narrat, Diodorus tantum res, quae fieri omnino non possunt, affert. Numquam enim ita pugnatum est, ut ab hoc narratur, sed magna vis oratorii ornamenti est, nulla ratione habita, utrum id quod narratur verum sit aut fieri possit necne, et quam recte Polybius Ephorum vituperaverit, quod non intelligeret pugnas terrestres, optime hoc capite Diodori demonstratur. Nam pugna eodem modo narratur atque apud Artemisium, Thermopylas, Salaminem, quod quum Graeci in angusto stent, Persae vincuntur, quippe qui copias explicare non possint. Quod quum ibi factum esset, Persae hic perturbatione exercitus victi sunt. Neque vero Ephori hoc interest, si modo id quod narrat delectat et iucundum est lectu. Tamen haec narratio maximi nobis momenti est, quum nobis demonstret Plutarchum Ephoro usum non esse. Quamquam igitur summam praecepi, tamen in eis quae sequuntur saepius ad id quod ille narrat redibo, nisi res plane ficta est. Quum Herodotum cum initio cap. XV comparamus, iure dicere possumus tam breve hoc esse quam illum longum. Nam Plutarchus tantum leviter ea tangit, quae ille multis verbis exponit Graecos aciem mutasse castraque ad fontem Gargaphiam posuisse et Mardonium saltus Cithaeronis occupasse seque cum ducibus Persarum deliberasse, utrum manerent an Thebas redirent. Neque vero id quod Plutarchus elegit nobis sufficit, quum plurimum omiserit et propterea res alio modo coniunxerit atque Herodotus. Plutarchus enim narrat

utrosque non adortos esse, quod sacra hoc non permisissent, Herodotus oracula haec quidem affert neque vero caussam subsistendi. Tum ille dicit inopia frumenti magna et Graecorum exercitu in dies augescente magis Mardonium commotum esse, ut adoriretur; hic has caussas non breviter sed longis orationibus ducum Persarum exprimit, ut optime gravissima quaeque ex Herodoto desumpta esse confitendum tibi sit. In narranda re ab Alexandro facta Plutarchus dicit Aristidem ab illo evocatum esse, Herodotus in universum de ducibus Atheniensium loquitur. Ex quo efficiuntur cetera, quibus inter se discrepant, quum Plutarchus, ut Aristidem aliquid fecisse dicere posset, ex oratione quam Alexander habuit dialogum excogitaret. Uterque in hac oratione easdem sententias affert, sed fine eius Herodotus Alexandrum duces nulli alii homini dicere id vetuisse quam Pausaniae auctor est, ut nihil respondere possint. Plutarchus affert postulasse eum, ne cuiquam dicerent. Quum autem Pausanias hoc sciret necesse esset, respondet Aristides ei semper se hoc dicturum esse. Ita factum est, ut Plutarchus quanta esset iustitia Aristides etiam hoc loco demonstraret. Finem narrationis uterque eisdem verbis facit.

Cap. XVI non solum Plutarchus ipse affert testem Herodotum sed etiam narrat a Pausania cum Atheniensibus aciem mutatam esse, id quod, quum ad notandam ignaviam illius illustre sit, in libello „de malignitate“ summa industria falsum esse contendit, et quo commovetur, ut Herodotum quam acerbissime vituperet. Quare nisi accuratius quaesieris, permirum esse potest, quod Plutarchus id quod ibi negat hic sine ulla dubitatione narrat, praesertim quum Herodotum ipse appellet, ut quod res, quas narrat, valde inter se discrepant, inconstantiae eum accuses. Neque vero ita res se habet. Nam constat malam memoriam Plutarcho saepius dolum nexuisse, ut conscium eum secum pugnare cogitari non possit, praesertim quum diversum consilium

utriusque libelli errorem efficere posset. Nam ut ibi id inprimis egit, ut omnia requireret, quae Herodoti gloriam imminuere possent, ita hic merita et virtutes Aristidis quam maxime augere studet. Quam ob rem hic narrat id quod ibi negat, neque vituperat, quum consilio aptum sit. Neque vero id quod Herodotum testem affert quidquam valet, quum ex quo ortum sit dubium non sit. Quum enim res plane aliter narrentur atque ab Herodoto, fieri non potest, ut ipse hoc usus sit, et ob eam rem hoc e fonte suo desumpserit neque ipse addiderit necesse est. Tum non video, cur fons hoc loco Herodotum testem attulerit, quippe quo eum etiam multis aliis locis usum esse neque nominasse eis quae praecedunt et sequuntur demonstretur. Videtur igitur rem ipse non credidisse et periculum auctori tradidisse. In eo quidem nemo offendet, quod Herodotus tantum de ducibus Atheniensium loquitur, quum Plutarchus Aristidem afferat, atque in oratione Pausaniae, qua Athenienses adhortatur, ut aciem secum mutent, easdem sententias uterque habet, sed Herodotus auctor est non solum Athenienses statim accessisse sed etiam dixisse de ea re se iam cogitasse neque vero ausos esse loqui, quum Plutarchus narret aegre eos tulisse, quod in hoc periculorum pleno loco constituerentur, sed postquam Aristides eis exposuisset locum honori esse, quum et quasi summam imperii acciperent neque cum popularibus pugnarent, animis promptis aciem mutasse. Fine capitis breviter narrat Graecos, quum etiam Mardonius aciem mutasset, in priora loca rediisse neque quum solas res gestas narret, valde ab Herodoto abhorret et tantum in eo discrepant inter se, quod ille narrat Thebanos Mardonio mutationem nuntiasse, quum hic de Boeotis in universum loquatur. Multas autem res omittit, quas ille narrat, Persas praeconem ad Graecos misisse et ea quae capp. XXXXIX—LI exponit in novissimum enuntiatum contrahit, ut sufficiat, quod res ipsae non secum pugnent.

Ea quae cap. XVII narrantur cum vita Aristidis, quippe qui ne nominetur quidem, non coniuncta sunt, sed a Plutarcho traduntur, quum eum delectaverint. Nam illae duae narratiunculae maiorem partem capitis efficiunt, ut cetera obscurentur. Sed omnia eodem ordine exponuntur. Nam quamquam altera narratiuncula ab Herodoto post pugnam narratam in enumerandis eis viris, qui fortissimi erant, affertur, tamen ratione temporis cum Plutarcho consentit, quum eodem tempore id factum esse dicat. Primum enuntiatum capitis plane congruit cum cap. LII Herodoti, quum gravissima quaeque de receptu Graecorum in insulam, quae dicebatur, narret. Tum quum exponit, quare exercitus Graecorum in tres partes seiunctus sit, incipit ab Amomphareto, centurione illo Lacedaemoniorum. Eodem modo, quod hic abire noluit, Herodotus probat Lacedaemonios remansisse et in utroque summa eadem est, etiamsi Plutarchus indignationem viri longius exponat. Id autem quod Herodotus narrat Athenienses ad Pausaniam praeconem misisse, ut cognoscerent, quid cunctaretur, omittit Plutarchus atque tantum affert illum Athenienses iussisse se exspectare sed Herodotus auctor est praeconem eundem fuisse ac nuntium. Abhorrent igitur inter se neque vero secum pugnant. Congruenter autem describunt perturbationem Persarum *ὡς οὐ μάχης ἐσομένης ἀλλὰ φεύγοντας ἀναρπασομένων τοὺς Ἕλληνας* et Herod. IX, 59 *ἐπήϊσαν ὡς ἀναρπασόμενοι τοὺς Ἕλληνας*. Diodorus de his rebus nihil scit, sed narrat Aristidem et Pausaniam exercitum instruxisse et hostibus obviam ivisse. Quae omnia ficta sunt et tantum id verum est, quod Persas *μετὰ βοῆς* adventantes facit; neque vero intelligo, cur id unum tenuerit; num putavit hoc melius opponi posse aequo animo Graecorum? Tum Herodotus et Plutarchus inter se discrepant, quod ille narrat Pausaniam Athenienses per nuntium iussisse adventare atque hos rediisse sed quum auxiliis Persarum occurrissent, impeditos esse eos iuvare; Plutarchus autem affert Pausaniam oblitum

esse nuntium mittere et Graecos adventasse, quum strepitum et clamorem audiissent. In eo capite quod sequitur idem dicit sed addit id quod quidem tantum verbis *ὡς φασὶν* probatur, nuntium Pausaniae adfuisse. Sequitur igitur, ut de hac re veteres rerum scriptores non idem senserint. Deinde plane congruenter narrant, quomodo, quum Persarum equites adorirentur, Lacedaemonii se gesserint et Callicrates mortuus sit.

Denique fine capitis permiro modo declarat morem illum Lacedaemoniorum, quo iuvenes templo flagellis verberabantur. De illa a Pausania et comitibus facta re nihil scimus et quum dies festus Minervae Orthiae intelligendus sit, haec a Plutarcho allata interpretatio pugnat cum Pausania 3, 16, 10, qui narrat a Lycurgo loco hostiarum humanarum institutum esse eum, neque Lydia pompa cognita est. Falsam autem hanc explicationem esse etiam magis demonstratur, quod Plutarchus verbis *ἔνιοι δὲ φασίν* eam affert. Neque enim novus fons ab his incipit, sed eis inserit Plutarchus aut fons eius id quod aliunde desumpserunt et verbis *δυσφορῶν οὖν Παυσανίας* ea quae sequuntur ad ea quae antecedunt adnectuntur, ut eiectis his versibus omnia optime cohaereant.

Quum Herodotus pugnas Lacedaemoniorum cum Persis et Atheniensium cum Thebanis commissas mixtas narret, Plutarchus ab hoc valde abhorret, quod ita disposuit, ut primum quae Lacedaemonii, tum quae Athenienses gesserint, narraret, ex quo non concludi potest haec post illa facta esse, sed tantum id egit, ut omnia magis perspicua essent. Tum initio capitis poëtarum simili amploque genere dicendi et elaborata concinnitate utitur. Deinde quamquam fere easdem res affert, omittit narrare Tegeatas nec auspicato nec litato Persas adortos esse, sed multo accuratius narrat, quomodo Persae Lacedaemoniis restiterint. Quae omnia Diodorus omittit et tantum ex eo, quod quum Mardonius in Lacedaemonios incidisset, magnam caedem ortam esse

narrat, concludi potest fonte meliore Ephorum usum esse. Atque in narrandis eis quae Athenienses fecerunt Plutarchus solus auctor est Aristidem obviam eis Graecis, qui a parte Persarum starent, ivisse et orasse, ne secum pugnarent. Pugnam ipsam cum Herodoto congruenter describit.

Id quod initio cap. XIX affert Plutarchus Lacedaemonios primos Persas fudisse, Herodotus non dicit, sed ex eo quod castra primo soli expugnabant, efficitur. Tum de nomine Lacedaemonii illius, qui Mardonium interfecit, consentiunt neque vero Herodotus, quae fuerit mors et quod oraculum portenderit, affert. Nam VIII, 133 affert a Mardonio hieme Carem quendam, cui nomen esset Mys, ad omnia Graecorum oracula consultum missum per amicum, qui non esset Thebanus, oraculum Amphiarai consuluisse, quum non responsum ferret, sed ipsum Apollinis Ptoi et responsum tulisse Carica lingua; quid autem deus responderit, non dicit. Plutarchus quum auctor sit Mardonium eo Lydum quendam, huc Carem misisse atque hunc responsum Carica lingua tulisse, illum oraculum iusto modo consuluisse et mortem Mardonii somniasse, ab Herodoto eo abhorret, quod hoc affert. Quum etiam hoc capite res gestae seiunctae sint diversis locis, quibus pugnabatur, Plutarchus nunc demum narrat, Athenienses Thebanos vicisse, id quod Herodotus una cum eis quae antecedunt exposuit neque vero in rebus ipsis dissentiunt. Plane aliter narrat Diodorus hanc victoriam. Nam postquam Mardonius fortiter pugnans mortuus esset, dicit, quum Persae in castra excepto Artabazo, qui cum quadraginta milibus militum in Phocidem profectus esset, Graecorum autem auxilia Thebas fugissent, etiam Graecos in tres partes divisos esse. Nam Athenienses institisse Boeotis, Corinthos Artabazo, Lacedaemonios Persis, sed quum Thebani vexatos Boeotos excepissent et Athenienses fortiter adorti essent, pugnam atrocem ortam esse, qua Thebani vix victi essent atque tum Athenienses rediisse et

castra expugnasse. Ex quo intelligi potest Diodorum omnia invertisse, quum iam ab initio pugnae Graeci seiuncti essent et pugna sub moenibus Thebarum orta plane ficta sit.

Persarum ducenta sexaginta milia interfecta esse affert Plutarchus, quum ex trecentis milibus militum tantum quadraginta milia effugisse narret. Quocum numero consentit fere Herodotus, quum exceptis illis quadraginta milibus vix tria milia servata esse auctor sit. Diodorus quum narret centum milia Persarum et decem milia Graecorum interfecta esse, diverso fonte se usum esse demonstrat. Quamquam enim numeri saepius commutantur neque quidquam demonstrant, tamen fieri non potest, ut hoc loco falsi sint, quum optime inter se oppositum sit id quod Persae et Graeci amiserint. Graecos autem mille trecentos sexaginta amisisse Plutarchus narrat atque testem affert Clidemum virum doctissimum, quem Atthidem scripsisse scimus. Sed Plutarchum ipsum hoc usum esse quis est qui putet, quum multo magis quadret ad genus scribendi Plutarchi, quod e fonte suo hunc locum deprompserit.

Eodem loco narrat, quum omnes Athenienses, qui pro patria mortui essent, e phyla Aeantica fuissent, hanc Sphragiticis nymphis sacrificium ab oraculo iussum sumptu publico fecisse, atque quum quaerimus, quae sint nymphae et quod oraculum hoc iusserit, occurrit nobis oraculum illud cap. XI, quo Graeci iussi sunt nymphis illis, ut Persas vincerent, supplicare, ut, quum nymphae eaedem sint et finitus articulus appositus sit, eadem esse oracula sumamus. Ex quo efficitur, ut etiam illud caput ei scriptori, quem Plutarchus testem hoc loco affert, tribuamus et id quod putavimus e fonte Boeotico illud fluxisse falsum sit. Sed oracula illa diversa esse contendo. Primum enim Graeci cap. XI iubentur nymphis non sacrificare sed supplicare; tum si ea e Clidemo fluxisse statueremus, temporum et rerum gestarum errores ei tribuendi essent neque quum hoc loco Plutarchus Clidemo ipso non usus sit, illo capite hoc fecisse potuerit,

sed sumendum esset eum etiam illud ex eodem fonte desumpturum fuisse, unde totum fluxit. Illud autem cum ceteris quae sequuntur pugnat neque a Clidemo traditum esse ullo modo potest. Quum enim sint ficta, nimis a veritate eius abhorrent. Tum primus Atthidem scripsit, ut, etiamsi ab his rebus gestis, quum expeditionem in Siciliam missam videret, spatio septuaginta annorum interiecto abesset, id quod de Alexandro traditur narrasse non potuerit. Postrema igitur pars capitis novo cuidam fonti tribuenda esset, sed id quod Plataeenses Atheniensibus agrum dedisse dicuntur Clidemo maneret. Quare nihil aliud restat, quam ut hunc locum non cum cap. XI coniungamus sed sumamus hoc sacrificium alio oraculo iussum esse, quamquam nihil de eo scimus. Ceterum non nego oraculum id, quod hoc loco probatur, caussam capitis XI esse posse, quum constet facile ad oracula religiones aut alia instituta adnecti ut illa interdum fingerentur.

Hoc loco Plutarchus ad novas res transit et novo fonte utitur. Si igitur colligimus et commonemus, quibus de rebus verba fecerimus, perspicuum est Plutarchum in narranda pugna ad Plataeas facta uno fonte usum esse, excepta quadam parte cap. XI. Nam genus dicendi prorsus idem est, tota narratione virtutes Aristidis praedicantur, quum pauci illi loci, quibus non nominatur, tam arcte coniuncti cum ceteris sint, ut seiungi non possint. Neque vero certum est, quo fonte Plutarchus usus sit. Ephorum non excussit, quum plane a Diodoro abhorreat, neque de Theopompo aut Atthidographo cogitari potest. Quare alia via nobis ingredienda est. Id quod multis locis paene ad verbum consentiunt inter se Herodotus et Plutarchus adducere nos potest, ut cogitemus Plutarchum Herodoto ipso usum esse. Quum enim Peter demonstrasset Plutarchum in scribendo Coriolano Dionysium ita excussisse, ut eum acutis sententiis et more oratorum exornaret, mirari non possumus, quod etiam nostra vita multas acute dictorum

argutias invenimus. Neque minus in eo offendimus, quod Plutarchus semper Aristidem res gessisse commemorat, quum Herodotus in universum tantum de ducibus Atheniensium loquatur. Qui quum ipse Aristidem exercitui praefuisse narret, facile Plutarchus concludere poterat hunc etiam semper plurimas res fecisse. Sed hoc loco multo difficiliorem hanc rem esse puto, quam ut ad Plutarchi morem scribendi quadrare videatur. Nam non solum ea quae Herodotus libro nono narrat optime contraxit sed etiam ordinem rerum interdum mutavit, quum id quod de oraculo Mardonii initio capitis XIX affert e libro octavo et narratiunculam illam de morte Callicratis e capite, quod multo post sequitur, desumeret et insereret atque contentionem Atheniensium cum Tegeatis factam ante pugnam equitum neque res a Lacedaemoniis et Atheniensibus gestas mixtas narraret. Tum etiam multas res addidit. Neque enim totum caput XIII in Herodoto scriptum legimus atque multo longius quam hic narrat, ut cetera silentio praeteream, quomodo Persae Lacedaemoniis restiterint et Mardonius oracula consuluerit, neque vero haec ad sententiarum subtilitatem spectant. Quod unde fluxerit, nescimus, si Plutarchus ipse Herodotum excussit. Huc accedit, quod verisimile non est ipsum Clidemo usum esse. Denique cap. XVI narrat a Thebanis Mardonium certiorem factum esse Pausaniam cum Atheniensibus aciem mutasse, quum Herodotus in universum de Boeotis loquatur. Neque vero quum constet Plutarchum semper id egisse, ut Thebanos excusaret, quod a parte Persarum stetissent, video, cur hoc loco nomina commutaverit et pro Boeotis Thebanos nominaverit. Si locum e scriptore quodam desumpsit, non est, quod offendamus. Quare non puto Plutarchum in narranda hac re Herodotum excussisse, sed ex alio fonte fluxisse hanc narrationem, qui quidem Herodoto usus sit. Ut hoc fere omnes, qui de bellis cum Persis gestis scripserunt, usi sunt, ita in nostram vitam id cadere demonstratur, quod multis locis

eisdem fere verbis utuntur Herodotus et Plutarchus; quum autem saepius inter se abhorreant, perspicuum est fontem Plutarchi Herodotum non semper secutum esse, sed id quod deprompserit saepius aliter disposuisse atque multa addidisse. Quis sit dicere nec audeo nec possum. Fortasse idem est atque ille, ex quo initium et finis nostrae vitae fluxerunt, quum virtutes Aristidis eodem modo quo ibi laudentur et initium capitis XVIII propter verba illa *θεοκλυτεῖν* et *δεδακρυμένος*, quae poëtarum generi dicendi similia sunt, et comparationem illam, quae ad Iliadis librum XIII, 373 spectat, viri docti esse mihi videatur, ut sumamus Plutarchum iam vitam huius viri, ex qua has partes desumpserit, habuisse.

Cap. XIX, §. 4 incipit nova pars nostrae vitae, quae finem habet cap. XXI. Rerum scriptori haec tribuenda esse mihi non videntur, sed, ut ita dicam, Plutarcho ipsi, quippe qui ea quae narrat partim ipse addiderit, partim primus, quum ut cap. XI iam a sacerdotibus cuiusvis templi ficta essent, posteris tradiderit. §. 4 pugnat Plutarchus contra ea quae Herodotus narravit tantum has tres civitates Atheniensium Lacedaemoniorum Tegeatarum cum Persis manus conseruisse. Neque vero ea quae affert magis falsum id esse demonstrant, quam id quod „de malignitate“ dicit. Quum Plutarchus numero interfectorum nititur, non videt sexcentos illos Megarenses fine pugnae prostratos esse neque ab Herodoto unquam commemorari Lacedaemoniorum perioecos. Neque gravior est altera caussa. Nam Herodotus quidem narrat sepulcra a ceteris civitatibus facta esse sed vacua fuisse, quum tantum trium illarum civitatum et Megarensium plena essent. Tum pugnat Plutarchus cum eis, quae antecedunt, quum ibi ceteros Graecos pugnae interfuisse non dicat. Ex quo recte concludere possumus neque illos pugnae interfuisse neque fontem Plutarchi id narrasse, sed quum id Herodoto vitio vertat, quod ipse facit, perspicuum est alium fontem eum hoc loco sequi

atque antea. Neque enim fieri potest, ut rerum scriptor quidam tam diversas res uno tenore narraverit. Pausanias IX, 25 narrat tantum tria sepulcra facta esse, quorum unum Atheniensium, alterum Lacedaemoniorum, tertium ceterorum Graecorum fuisset, sed quum verba *τὰ μνήματα* nimis indefinita sint, Herodoto maiorem fidem tribuimus. Tertia caussa plane nullius momenti est. Neque enim ex inscriptione arae illa, quam albo marmore prope sepulcra factam esse Pausanias narrat, quum tantum in universum Graeci nominentur, qui interfuerint victoriae, dicere possumus. Hae igitur caussae nihil demonstrant. A Plutarcho autem ipso eas additas esse perspicuum est, quod „de malignitate 873, 6“ eaedem, quamquam longiores sunt, afferuntur. Inscriptione illa commemoratur *Ζεὺς ἐλευθέριος*, ut Didymus apud Harpocrationem affert *διὰ τὸ τῶν Μηδικῶν ἀπαλλαγῆναι τοὺς Ἀθηναίους* et cap. XI *Ζεὺς σωτὴρ*, sed ut in scholio ad Aristoph. Plut. 1175 scriptum legimus, etiam *ἐλευθέριος* nominabatur. Si igitur statuimus *Ζεὺς ἐλευθέριος* eundem esse ac *Ζεὺς σωτὴρ*, sequitur, ut loci hi inter se coniuncti sint.

Fine capitis Plutarchus diem pugnae fastis Atheniensium fuisse quartum mensis Boëdromionis dicit, Boeotorum vicesimum septimum mensis Panemi. Ab illo discrepat, quum Cam. XIX et Moral. 349, f. dicat tertium diem fuisse. Quamquam autem hunc errorem per scripturam factum esse putamus, tamen diem pugnae nescimus, quum Plutarchus dies festos memoriae pugnae institutos cum die pugnae confundat. Unde autem haec fluxerint, ex eis quae sequuntur facile cognosci potest. Plutarchus enim dicit non mirum esse posse, quod inter se discrepent temporum rationes, quum etiam nunc, quamquam fasti correcti sint, initium et finis mensium non idem sit. Agitur inprimis de interpretandis verbis *καὶ νῦν διηκριβωμένων τῶν ἐν ἀστρολογίᾳ μᾶλλον*. Quamquam multis locis e fonte desumpsit verba *καὶ νῦν*, tamen non video, quomodo reliquum tum interpre-

tandum sit. Quum enim verisimillimum sit hoc ad fastos a Julio Caesare correctos referre, quippe qui non ad Graecarum civitatum sed Romanorum spectarent, verba *καὶ νῦν* ad Plutarchi tempora referenda et ipsi tribuenda sunt, id quod initio capitis XXI, ubi ad aliud quid, quod hic affert, redibo, probabilius exponam.

Cap. XX narrat Plutarchus Athenienses et Lacedaemonios simultatibus commotos paene manus conseruisse, donec, quum auctore Cleocrito, Corinthiorum duce, Plataeensibus praemium victoriae concederetur, pax restituta esset. Illud „de malignitate 872" affert, neque vero hoc. Quae omnia a ceteris rerum scriptoribus non commemorantur. Herodotus IX, 71 Lacedaemoniis suo iudicio praemium addicit neque vero affert publice praemia distributa esse. Diodorus hoc quidem narrat, sed Lacedaemonios et Pausaniam corona donatos esse auctor est. Qui quum igitur omnes cum Plutarcho pugnent, id quod affert non aliter nisi diffidenter accipere possumus, et quamquam non nego pugnam committi potuisse, finis fide quam indignissimus est. Neque enim, quum Herodotus et Plutarchus in eis quae antecedunt narrent Corinthios pugnae non interfuisse, intelligo, quomodo Cleocritus ceteros adducere potuerit, ut crederent pro civibus se praemium accipere studuisse. Quod si cum illis comparamus, risu dignum est, sed si paullo accuratius plus legerimus, statim cognoscemus, quo totum spectet. Plataeensibus summo honori sit necesse est, quod Cleocritus orationem habuit, quae omnibus placuit et laude digna esse videbatur et quod hac oratione omnes commoti eis octoginta talenta dederunt, quibus templum Minervae aedificaverunt, picturis ornaverunt, simulacrum collocaverunt. Nam iam id quod pecuniae eis dono datae sunt honori eis erat, inprimis autem sacerdotibus templi summae laudi, quod his temporibus talibus caussis templum restitutum erat. Sed quum unusquisque, cui narrabatur, quomodo templum aedificatum esset, qua fuissent fortitudine Plataeenses, audiret,

cum gloria templi quam coniunctissima erat Plataeensium. Hoc consilium plane perspicuum est et quomodo sacerdotes eis quae Plutarchus affert usi sint, demonstratur, quod, si cum Pausania IX, 4, 1. comparamus, falsum id esse perspicuum est, quippe qui auctor sit templum praeda Marathonia aedificatum esse. Neque minus id quod Plutarchus narrat Lacedaemonios et Athenienses suum quemque tropaeum statuisse pugnat cum Pausania, quippe qui tantum unum fuisse dicat.

Plutarchus picturas μέχρι νῦν viguisse commemorat. Pausanias eas vidit, neque est quod νῦν ad tempora Plutarchi non referamus, quum non videam, ad quem alium spectet, et Plutarchus, quippe qui esset Boeotus et sacerdos, videre eas facillime posset.

Denique fine capitis narrat Plutarchus a nullo alio scriptore traditam et permiram narratiunculam de Plataeensi quodam Euchida, qui septuaginta quinque milia passuum uno die emensus est, ut ignem sacrum Delphis afferret, et statim tum moriens concidit. Quum mihi non persuaserim hominem tantum spatium itineris emetiri posse, totum esse fictum puto. Fortasse erat templo Dianae Eucleiae sepulcrum et ad id quod permirum erat interpretandum sacerdotes hoc ementiti sunt, quod, quum unus ex Plataeensibus tali modo mortem perpessus esset, his summo honori erat. Huc accedit, quod novissimi versus sunt talis, qui religiones et mores Boeotorum tam bene cognoverit, ut is, qui non erat Boeotus, scribere non potuerit.

Cap. XXI narrat omnium Graecorum dies festos Eleutheriorum victoria celebratos institutos esse et describit, quomodo feralia in honorem interfectorum edita sint. Haec duo solemnia distinguenda sunt. Illud cadit in mensem Panemum, hoc in mensem Alalcomenium aut fastis Atheniensium Maimacterionem. De illo dicit Plutarchus in concione omnium Graecorum Aristidem tulisse, ut quotannis conventus Graecorum Plataeas conveniret et quinto quoque

anno legati ad celebranda Eleutheria et spectandos ludos, exercitus sociorum decem milium peditum, mille equitum, centum navium esset ad bellum cum Persis gerendum, Plataeenses sacrosancti essent. Aristidem haec fecisse ceteri scriptores non narrant neque intelligo, quomodo, quum Pausanias exercitui praeesset, ille primus Graecorum fuerit. Cum tertio consilio pugnat Thucydides II, 71, ubi Plataeenses ipsi Pausaniae hoc beneficium tribuunt, sed haec diversitas ita componi potest, ut sumamus Aristidem nihil aliud quam legem tulisse. Alterum numquam commemoratur neque nego me putare non modo non fide indignum id esse sed ne fieri quidem potuisse. Nam simultates Lacedaemoniorum et Atheniensium, ne tale quid decerneretur, prohibebant. Tum ea societas, quae omnes Graecos comprehendisset, numquam fuit et quum numquam conventum ad res Graecorum deliberandas post bella cum Persis gesta Plataeas coiisse aut consilium captum esse huius societatis faciendae, quae a rebus Graecorum valde abhorruisset, certum sit, multo verisimilius est totam rem postea a viris insanis fictam esse, qui id, quod ipsi iudicabant, in haec tempora transferebant. Tantum id constat, quum Pausanias IX, 2, 6. narret, etiam eius temporibus quinto quoque anno Iovi Eleutherio Eleutheria cum ludis celebrata esse Plataeis; neque vero dicit, utrum Aristide auctore instituta sint necne. Cap. XIX, §. 5 scriptum legimus *ἔτι καὶ νῦν ἔτι τὸ Ἑλληνικὸν ἐν Πλαταιαῖς ἀθροίζεται συνέδριον καὶ θύουσι τῷ Ἐλευθερίῳ Διὶ Πλαταιεῖς ὑπὲρ τῆς νίκης* et quaeritur, ad quod tempus id referendum sit. Quod si ad illa tempora spectaret, falsum id esset, quod supra statuimus. Neque vero omnes, qui ante Plutarchum res gestas scripserunt, de illo concilio quidquam afferunt; is primus hanc rem narrat atque ad huius tempora *καὶ νῦν ἔτι* referendum esse probatur inscriptione quadam, quae Caesarianis temporibus insculpta in Boeotia inventa est. Cf. Keil, Sylloge inscriptionum Boeoticarum pag. 127. Qua quamquam *συνέδριον*

ιῶν Ἑλλήνων Plataeis commemoratur, non probatur concilia illa tamdiu viguisse, quum spatio interiecto ea fuisse nemo testis sit, sed tum demum instituta esse fortasse, quum restituerentur Eleutheria. Quae quum ad haec tempora fere redirent, illa etiam eodem tempore orta esse fingebantur. Totum igitur postea fictum esse puto, quod conciliis illis honori erat. Huc accedit, quod consilium prorsus e re Boeotorum est. Nam id quod haec tam parva civitas sacrosancta et, quum ludi et conventus in ea ederentur, quasi caput societatis facta est, summo honori Plataeensibus erat.

Denique accuratissime describit, quomodo feralia acta sint. Initio et fine huius narrationis commemorat Plataeenses *μέχρι νῦν* et *ἔτι καὶ νῦν* id facere. Neque haec ad ipsius tempora referre dubito, quum „de malign. 872“ afferat *καὶ μνήματα νεκρῶν ἐν οἷς ἐναγίζουσιν ἄχρι νῦν Πλαταιεῖς τῶν Ἑλλήνων συμπαρόντων.* Tum id quod tota res tam accurate narratur eius est, qui feralibus ipse interfuerat, et quo modo vivendi archon usus sit, Plutarchus facillime narrare poterat, quum et ipse hoc munere Chaeroneae functus esset.

Verbis *διαφυλάττουσιν οἱ Πλαταιεῖς* finem habet haec pars. Id quod hic narratur cum vita Aristidis non coniunctum est. Quamquam enim interdum nominatur, id quod fecisse dicitur plane fictum est. Neque magis cohaeret cum historia bellorum cum Persis gestorum. Neque enim ea quae hic narrantur partim a ceteris rerum scriptoribus traduntur, partim cum eis quae illi tradunt tam pugnant, ut fidem eis non habeamus. Si autem accurate quaerimus, quid tandem sit, quod nostrae vitae inseruerit, Plutarchus tantum res gestas Plataeensium narrat, quum etiam illi loci, quibus Aristides nominatur, magis ad illos quam ad hunc spectent, atque consilium Plutarchi plane idem est ac cap. XI. Nam id egit, ut gloriam Plataeensium augeret et ita omnes Boeotos apud eos, qui vitam legerent, ornaret. Quare quem fontem Plutarchus secutus sit, per-

spicuum est. Boeotico certe usus est, neque vero puto scriptorem excussisse eum, quum de Boeoticarum rerum scriptoribus nihil satis constet, sed ipsi hanc partem tribuendam esse. Certum hoc esse mihi videtur, ubi *μέχρι νῦν* affert; ceteris locis eis, quae sacerdotes templi cuiusdam, fortasse Minervae Eucleiae et Iovis Eleutherii, litteris aut verbis posteris tradiderant, usus est. Quae omnia inter se coniunxit. Quod quamquam a scribendi genere eius abhorret, tamen hic non permirum est, quum magno Boeotiae amore facile adducamur, ut credamus, eum studio patriae ornandae commotum non solum exscripsisse ex aliis quae narraret, sed etiam ipsum composuisse. Denique quum consilium idem sit, cap. XI. eidem fonti tribuendum esse verisimile est.

Capp. XXIII—XXIV, §. 4 narrat Plutarchus, quomodo foedus ab Atheniensibus cum Ionibus ictum sit. Quas quamquam res iterum initio vitae Cimonis nihil aliud nisi tangit, tamen nobis gravissimum est, quod ea quae in Aristide affert supplere nonnullis locis possumus. Herodotus, quum nonum librum expugnata Sesto abrumpat, non amplius in comparationem vertendus est, sed Thucydides brevi expositione rerum a Graecis quinquaginta illis annis gestarum bonam ansam nobis dat ad definiendum fontem Plutarchi.

In narrandis eis rebus, quibus summa imperii a Lacedaemoniis ad Athenienses transferebatur, omnes rerum scriptores in eo consentiunt, quod asperitas Pausaniae et Atheniensium iucunditas socios adduxit, ut ad hos desciscerent. Illius singulares notae in universum a Diodoro 44, 5. et singillatim a Thucydide I, 95, 1. et 130, 1. afferuntur. Hic consentit cum Plutarcho, qui quidem plus affert, quum solus accurate narret, quomodo Pausanias se gesserit erga ceteros Graecos et Aristidem, id quod neque ab alio scriptore narratur neque in vita Cimonis scriptum legimus. Sed in utraque vita fere eisdem verbis, quomodo Athenienses socios allexerint, Plutarchus exponit, quum tantum eo inter

se abhorreat, quod nostra vita Aristidem, Cimonis cap. VI. hunc id fecisse dicit. Quae occasio desciscendi data sit sociis, longe aliter narrat ac ceteri. Dicit enim, quum Aristides postulasset, ut tale quid facerent, quod consilium mutare impediret, duos Iones coniurasse, ut in navem Pausaniae, quum e portu Byzantii in altum eveheretur, impetum facerent, sed quum neque dicat, quando Iones hoc fecerint, neque cur Pausanias navibus Lacedaemoniorum profectus sit, illam permiram rem vita Aristidis explicare nequimus. Classem autem Lacedaemoniorum eum secutam esse ex eo apparet, quod *προεκπλέουσαν* dicit. Id autem, quod vita Cimonis narrat Pausaniam a sociis Byzantio expulsum esse, supplendum est hoc loco, ut sumamus seditionem coortam esse, qua Pausanias et Lacedaemonii expulsi sint. Has duas enim narrationes coniungendas esse probatur illo loco, quem supra attuli et inprimis eo, quod Plutarchus utraque vita non narrat Pausaniam revocatum et accusatum esse. Atque ex eo efficitur, ut uni fonti has tribuamus. Thucydides narrat revocatum eum esse a Lacedaemoniis et tandem, postquam rediisset, a Cimone expulsum. Quum autem non dicat Peloponnensium naves una cum eo rediisse, Curtio non assentor, qui hist. Graeca II., 812 censet eas cum eo profectas esse et adnot. 38 „si solus Pausanias revocatus esset, statim successor missus esset; sed quum naves cum Pausania rediissent, Dorcis novo exercitu missus est.“ Neque enim primo Lacedaemonii id agere poterant, ut caussa non indicta Pausaniam ab imperio removerent. Qua quum caussa non convinceretur, sed tam suspectus esset, ut tale imperium ei non rursus mandari posset, Dorcis missus est et id quod parvo exercitu profectus est melius auxilia quam novum exercitum intelligere possumus. Si nulla suspicio subesset Pausaniae, certe remissus esset. Quum autem eo tempore, quo revocabatur, nihil certum esset, in eius locum alter non iam restituendus erat. Nam si id fecissent, de culpa eius sibi persuasisse

visi essent, sed interim imperium tractabatur ab eo duce, qui Pausaniae dignitate proximus erat. Certi aliquid tum demum statuere poterant, quum caussa diiudicata erat et fortasse Cimoni aut Aristidi imperium ad tempus mandatum erat, quum hoc temporis spatio Iones cum Atheniensibus foedus icerent. Hanc autem interpretationem rectam esse demonstratur loco illo Thucydidis I, 95. *μετεπέμποντο Παυσανίαν* et inde *ξυνέβη τε αὐτῷ καλεῖσθαι τε ἅμα καὶ τοὺς ξυμμάχους τῷ ἐκείνου ἔχθει παρ' Ἀθηναίους μετατάξασθαι πλὴν τῶν ἀπὸ Πελοποννήσου στρατιωτῶν*, ex quo apparet Peloponnensium naves non cum Pausania rediisse. Dixerit quispiam, Plutarchum narrationem Thucydidis contraxisse, sed hoc falsum est, quum, quomodo Pausanias expulsus sit, non eodem modo narrent. Nam ille auctor est socios defecisse ad Athenienses, quum Pausanias expelleretur, Thucydides autem, quum revocaretur. Nam successor infecta re rediit, neque quum Pausanias iterum Byzantii erat, Lacedaemoniis praefuit sed propriis viribus et suo consilio bellum gessit. Perobscurum est id quod Diodorus 11, 44. narrat Peloponnenses Pausaniam deseruisse et Lacedaemone accusasse, atque quum caussam non commemoret, statim affert, quo dolo Taenari captus sit, ut non cognoscamus, utrum revocatum an expulsum eum esse censuerit. Fine capitis narrat Plutarchus Lacedaemonios, quum sensissent duces nimia vi corrumpi, sponte ab imperio destitisse, quum suis moribus vivere mallent, quam Graeciae praeesse. Si verba *πέμποντες ἐπαύσαντο* ad Pausaniam referimus, sequitur, ut post hunc ducem non miserint ad classem. Thucydides I, 97. auctor est Dorcem ab eis missum esse, sed quum vidisset socios iam defecisse ad Athenienses, rediisse neque vero post eum ducem aut exercitum Lacedaemonios misisse. Diodorus narrat cap. 46, 5. duces quidem eos misisse neque vero socios eis obtemperasse, quum non commemoret, qui illi fuerint. Cum Plutarcho Thucydides consentit in eo quod dicit summo opere

petiisse Lacedaemonios, ut bello liberarentur, sed Diodorus XI, 50. abhorret ab eis, quum afferat Lacedaemonios aegre tulisse, quod summam imperii amisissent et de bello cogitasse iuniores sed ab Hetoimarida edoctos summam imperii maritimi et victoriam non congruere cum moribus suis et civitatem ipsam pessum ire bello destitisse.

Aristidem sociis tributa indixisse commemorant etiam Cornelius Arist. cap. 3. et Diodorus 47, 1. quum Thucydides tantum in universum de Atheniensibus lòquatur neque vero cum Plutarcho consentiunt, quippe cuius verba omnia eo pertineant, ut Aristides laudetur. Nam socios tempora Aristidis auream aetatem laudibus extulisse narrat atque idem dicit de vivendi genere pauperum Atheniensium, quod Cimon, qua erat largitate, melius effecerat. De summa tributi omnes consentiunt, quum id quod Diodorus cap. 47 quingenta sexaginta talenta commemoret nullius momenti sit, sed Plutarchus a ceteris eo quam maxime discrepat, quod, quantopere per annos tributum iactatum sit, affert. Quod quum hoc loco non narrent, sequitur, ut Plutarchus tali fonte usus sit, qui diversas summas, quas ceteri diversis locis commemorabant, hoc loco coniunxerat atque quibuscum in re publica gerenda steterit hic scriptor, perspicuum est, quum oratores oblique perstringat et vituperet, quod largitionibus ad plebem factis publicas pecunias effuderint et dicat ob eam rem tributa aucta esse.

Quibus quum capitibus nimis a Diodoro abhorreat, Ephoro Plutarchum usum esse negandum est, neque magis ea quae narrantur e Thucydide ipso fluxisse possunt sed quum nonnullis locis inter se consentiant, fontem Plutarchi eo usum esse verisimile est, praesertim quum ipse testis afferatur. Plutarchi autem ad fontem definiendum inprimis haec duo gravissima sunt, unum quod cum vita Cimonis nostra consentit, alterum quod e re optimatium, quanti sint aestimandi oratores Atheniensium, diiudicat. Atqui illos locos e Theopompo fluxisse Ruehl censuit, atque hoc eidem

favet. Nam a caussa populi tam remotus erat, ut oratorum Atheniensium neminem alium nisi Aristidem et Cimonem vereretur neque occasionem omitteret bilis in populares effundendae. Huc pertinet id quod narrationi inseruit, quantopere tributa aucta sint, quum tantum id efficiat, ut popularium ratio rei publicae gerendae detrectetur opposita Aristidis clementia. Denique hanc totam digressionem facillime explicare possumus, quum statuimus e decimo libro Theopompi fluxisse eam, quippe qui ipse magnus egressus esset.

Haec habui, quae de fontibus Aristidis Plutarchei afferrem; quare hic mihi breviter complecti, quae de singulis capitibus eruisse mihi visus sim, liceat.

cap. 1—7.		Alexandrinus.
„ 22.		
„ 24, §. 4—27.		
„ 8—10, v. 18.	Ephorus.	
„ 10, v. 18—11, §. 1	Alexandrinus.	
„ 11, §. 2—6.		Plutarchus.
„ 19, §. 4—21.		
„ 12—19, §. 3.	fortasse Alexandrinus.	
„ 23—24, §. 3.	Theopompus.	

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 055 535 1

OCT 13 1874

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 055 535 1